

Johannes Freder

**De Helisæo Propheta, fideli iuuentutis Rectore, Oratio Johannis Frederi, Habita  
cum ViceRectoris munere fungeretur, in reuerendi clarissimiq[ue] viri, Davidis  
Chytræi, Rectoris Academiæ Rostochiensis renunciatione, XI. Cal. Marj. Anno CI  
I XVC.**

Rostock: Myliander, 1586

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757673318>

Druck    Freier  Zugang





118.

A - E.  
A - B.  
A - D.  
A - C.  
A - B.  
A - C.  
A - E.  
A - B.  
A - D.  
A - C.  
A - B.  
A - C.  
A - D.  
A - E.  
A - F.

1-17

Jm 4303  
3 Ja 11.





9

DE  
**HELI SAO**

Propheta, fideli iuuen-  
tutis Rectore,

**ORATIO**

**JOHANNIS FREDERI,**

Habita cum ViceRectoris munere  
fungeretur, in reuerendi clarissimiq; viri,

**DAVIDIS CHYTRÆI,**

Rectoris Academiæ Rostochiensis  
renunciatione, XI. Cal.

Maij. Anno

CIC CI CIC.



**ROSTOCHII**

Typis Myliandrinis.  
Anno 1586.

9.



Patritio genere, & ingenio felici, VVAL-  
THERO BOSCHARDO, Ant-  
uerpiensi, coniectori & fa-  
miliari suo,

IOHANNES FREDERVS.

O Ptima virtutis via commendanda iuuentæ  
Qua venit amplius honos, gloria vera  
venit.

Hæc via laude vehi dignissima, dulcia vita  
Præmia venturæ post capit, huius habet.

Hæc igitur VVALthere tibi gratissima, pulcro  
Coepit labore, pia continuanda fide.

Multa quidem nostro sunt peruersissima seculo:  
O mores, o quæ tempora conspicimus?

Flectere quæ tentant iuuenes de tramite recto:  
Et faciunt, quando pectora lœua patent.

Sunt aconita quidē fugienda, sed agmina praua  
Dedita luxuriae sunt fugienda magis. (nēdo  
Qui monet, vt fugias, quod iam fugis, ille mo-

Laudat: laus magni candida calcar habet.  
Laus ea grata Deo est, ea patri laude nitenti,

Matri laudatae laus ea pulcra tuæ.  
Tu quia te iungis mihi, te mihi iungo vicissim;

Pignus amicitiae qui tibi dono meæ.  
Indolis egregiæ iuuenes complector amore

Ob fidei, morum, Pieridumq; decus;  
Hoc decus hæc præsens Oratio gratius illis,

Fallor an? efficiet nobilisq; tibi:  
Te via virtutis, te suavis gratia morum

Ornat & ingenuæ mentis & artis amor.  
Ne lolium lappæq; tibi tribulicq; nocui

Sint opto: felix sit tua vita. Vale.

ORA

# ORATIO.

**H**odierna die 21. Aprilis, triginta quatuor anni sunt, cum primam in hac Academia p̄alectionem suam meus sacer, Reuerendus & clarissimus vir, Doctor David Chytraus, proximi semestris aſtini Rector, ut audiuitis, denuo electus, habuit: à quo nunc incommodius valente, vices officij Rectoris, iam, ipsius nomine & loco, subire iussus sum.

Cum igitur in hoc publico Academia congressu leges consuetudinis Schola vetusta & laudabilis necessitatem dicendi aliquid de

A 2 scho-

scholis et gubernatione scholastica  
imponant: breui oratione, ut ante  
annum patroni & defensoris pia-  
rum scholarum S. Georgij imagi-  
ne expressi: ita nunc optimi & fi-  
delissimi Rectoris Scholæ HELI-  
SÆI historiam in sacris Regum  
libris expositam, commemorare  
institui: Quæ multas, tum regen-  
tibus scholas, aliosq; docentibus,  
tum iuuentuti scholasticae admoni-  
tiones non inutiles nec ingratas (ut  
spero) continebit. Itaq; reueren-  
ter à vobis viri nobilissimi ac cla-  
rissimi, et collegæ obseruādi, studio-  
siſſimiq; iuuenes peto, ut de scho-  
lastico hoc nostro vita genere uti-  
lia et salutaria pro ingenij mei te-  
nuita.

nuitate tenuius et simplicius dicen-  
tem, benignè attenteqz, audiatis.

Cum Helias Thesbites Doctor  
et Gubernator ecclesiæ Dei prima-  
rius, multos iam annos Scholis &  
Ecclesijs Israëliticis fideliter et fe-  
liciter præfuisse: & Heliaum  
Saphati filium primò discipulum,  
deinde collegam sibi adsciuisset:  
Deus præstitas ab ipso et præclarè  
omnibus pijs probatas docendi re-  
gendiqz alios operas, præmijs insi-  
gnibus ornatus, flammeis san-  
ctorum angelorum cateruis comi-  
tatum senem pium, non degustata  
mortis acerbitate, viuentem, suo  
corpore, in cœlum, quemadmodū  
Enochum, ad vita melioris gau-

A 3 dia

dia transferre decreuerat, indicio  
exempliqꝫ manifesto toti posteri-  
tati relicto demonstrans aliam su-  
peresse vitam, in qua, pij Rectores  
scholarum, perpetuis laboribus,  
molestijs, angoribus, curis, ingratia-  
tudine, calumnijs, & odijs guber-  
natorum, collegarum, et aliorum,  
in quos summa vera doctrina &  
disciplina beneficia contulerant,  
excruciati & defessi suauissima  
quiete & gloria viciſim sint frui-  
turi. Elisæus autem fidelis et gra-  
uus Helia discipulus, qui præceptoris  
diligentissimè auscultauerat, eiqꝫ  
aquam super manus (ut scriptura  
phrasit utar) fuderat, hoc est, omni  
officiorum genere expeditissimus  
et prom-

Et promptissimum studium Et ob-  
seruaniam praeceptoris suam pro-  
bauerat: initus a Doctore Et re-  
ctore suo secedere voluit. sed cum eo-  
dem illi visum dulce fuit vivere,  
dulce mori. sicut etiam Xenocrates a  
praeceptore suo Platone se non pas-  
sus est auelli. Cum igitur ambo  
ad ripam Iordanis venissent, ubi  
prophetæ Et postea Iohannes ba-  
ptista soliti fuerunt scholis praesesse,  
et iuuentutem ad pietatem et hone-  
statem informare: pallio suo He-  
lias percussum diuisit flumen Et  
Helias petere a se aliquid ius-  
sit, priusq ab eius consuetudine et  
familiaritate dulcissima diuellere-  
tur. Elia igitur vestigijs He-

A 4 liam

lia in docenda & gubernanda ec-  
lesia insistere, & plantare cælos ac  
fundare terram, ut Esaias loqui-  
tur, & multis hominibus ad ve-  
ram Dei agnitionem & eternam  
salutem, & alios in his terris do-  
cendos & regendos, exemplo ma-  
gistri, utiliter seruire, nec tamen  
Helia ex aquari, eumque superare  
cupiens, duas partes spiritus seu  
donorum Eliæ secum communica-  
ri exoptat, ut Dei Ecclesiae et scho-  
lis in populo Israël maiori cum  
utilitate & fructu possit preesse.  
Quia sine peculiari auxilio Deret  
Spiritus sancti numine nemo po-  
test esse idoneus & salutaris Ec-  
lesia vel Schola Rector & doctor:

OUTE

Οὐπέ θεὸν γνῶνας διώσαται βροτὸς: οὐπέ μιδάν  
οστὶς ὁδηγοῦται μὴ θεὸν αὐτὸν ἔχει. (οὐκέν:  
τεῖσὲ οὐ διὰ με δίδασκε πατέρος λόγος αἰδίοιο:  
οὐτως γὰρ διώσαμεν τοὺς χαρίεντας λέγαν.

Nemo Deū vel nosse potest vel rite docere,  
Ipse nī Doctor sit maneatq; Deus:  
Tu nos ergo doce summi patris vnicē Fili:  
Te duce discemus dicere grata tibi.

Cum autem transito Iordanē  
Elias & Heliāus iter institutum  
vna ingressi, sermones dulcissimos,  
& ex ardenti pectore utrinq; pro-  
fectos conferrent: ecce angeli Se-  
raphim, lucis Diuinā radijs sub-  
gentes, & amore Dei ac ecclesie  
ardentes, specie quadrigarum, &  
equitum flammearū, (sicut postea  
etiam Heliāum, in oppido Dotha-  
im à Syris obfesso eadem specie ap-  
A & parentes,

parentes custodium) Heliam senem ludim agustum, longo tempore in terrarum orbe, multis pedestribus itineribus defatigatum, et perpetuas exagitationes, curas, labores molestiasq; plurimas expertum, auehentes ad iucundissimam vitam et gloria in caelis aeterna quietem traducunt.

Mirandum hoc videns Elisaeus spectaculum, postremum compellans preceptorem, encomio & elo-  
gio, breui quidem, sed admodum neruoso & illustri, celebrat paternam fidem & solitudinem diligenti-  
amq; singularem, quam in regendis & ornandis Ecclesijs et Scholis adhibuerat: Pater mi(in-  
quit)

quit) pater mi, currus & auriga  
Israël: qui tuo consilio, pietate, sa-  
plentia & autoritate Ecclesiam et  
Rempublicam Israëlis potissimum  
gubernasti.

Est enim pij discipuli, agnosce-  
re & celebrare grata mente &  
voce preceptorum beneficia &  
labores, & amissione eorum  
dolere: quemadmodum Heli-  
laus ob amissum Heliam ve-  
stimenta sua primum (ut sole-  
bant Israëlitæ) in magna ani-  
mi perturbatione, scindit, deinde  
recolligens se, leuat de terra palli-  
um Helia, et Helia Deo, precibus  
ardentissimis (Ihs enim non pre-  
missis

missis eidem idem tentanti non  
succesit) inuocato, Iordanem pallio  
Elias diuisit: quo etiam pallio sui  
praeceptoris σφάλματε et nauos texit:  
quemadmodū Iaphetus et Semus  
patris sui errata ἐς lapsus conte-  
xerunt. Nam et Elias, et si mul-  
tarum scholarum fuit rector: ta-  
men homo fuit, ἐς humani à se ni-  
hil alienum putare, humano more  
decipi ἐς labi potuit. Sicut nul-  
lus in toto orbe terrarum, præser-  
tim excellentium gubernatorū et  
doctorum, unico Dei filio excepto  
ἀναράγητος fuit, qui non alicubi à  
recto tramite desciuerit, ac vacil-  
lauerit, si modo non planè, ut Je-  
remias ἐς Aaron, lapsus sit.

Vni-

Vnicuique dedit vitium natura creata  
Qui non peccārit non fuit ullus homo.

Posteaq̄ igitur discipulus praeceptoris successit: ut initio obsequens  
et gratus discipulus fuit: ita iam  
fidelis et diligens praeceptor euadit,  
et curam fouendi et propagandi  
veram de Deo doctrinam et pie-  
tatis studia Ecclesia Rei pub.  
necessaria precipuam suscipit, et  
in scholis ingenia et mores adole-  
scendum ipse erudit et regit, et  
quomodo ab aliis etiā erudiantur  
et regantur inquirit. Primum  
autem Vniuersitatem Hierichun-  
ticam inuisit, ubi Theologia stu-  
diosi fuerunt non pauci, qui audi-  
tores et filii Prophetarum tunc  
vocabantur, ubi fonte amarum,

seu

seu amaras & austeras aquas,  
asperso sale in dulces & salubres  
mutat. Quae pulcherrimam refe-  
runt scholarum imaginem. Nam  
iuxta pariemiam: Radices litera-  
rum amarae, et austerae earum ini-  
tia: fructus vero dulcissimi sunt  
& iucundissimi. Dulces vero et  
iucundi sunt sale sapientia aspersi,  
cum succum virtutemq; et potentia-  
m verbi Diuini usu percipimus,  
& ad disciplinarum liberalium  
intellectionem et penetralia perue-  
nimus. Ipsa etiam FONTIS  
appellatio admonet, Verè artes et  
nominari et esse fontes omnium in  
vita bonorum: & Scholam me-  
diocriter constitutam, augustum  
et pe-

et perennē fontem esse, ex quo tres  
risuli sapientia & utilitatum am-  
plissimarū : primus in Ecclesiis et  
Scholas, alter in aulas & politias,  
tertius in œconomias ac priuatas  
domos redundant. Et nomen loci  
Academia in Hiericho à ריח Ri-  
ah, ab odore et fragrātia balsami,  
quod ibi maxima fertilitate nasci-  
tur, vel à suauissimo Rosarū odore  
deriuant, sicut rosa Iericho in sen-  
tentiis Syracida mentio fit: ubi  
splendidum & dulcissimum, (cap.  
24.) sapientia de Deo in Ecclesia  
populi Israël certis illustribusq; te-  
stimonioris patefacta & propagata  
encomium extat, quo pulcherri-  
mis figuris ac similitudinibus flo-  
rens

rens Ecclesia & ministerium verbi Diuini in populo Israël institutum, & inde in omnes gentes propagatum depingitur: Quo cælum plantatur & fundatur terra, ut succrescat in sublime vera religio, sicut cedrus Libani & sicut cyparissus in monte Hermon, & velut palma posita in irriguo, & quemadmodum plantæ roseti prolate in Hiericho.

Qualem statum Ecclesie & ministerii verbi cœlestis, unâ cum optimarum artium & studiorum cultura vbere, cum in hac etiam nostra Hiericho seu urbe Rosaru, ad littus Balthicum hoc tempore videamus, merito latamur, Deoq<sup>e</sup> maxi-

maximo eidemq; optimo, pro cœ-  
lesti hoc horto, plantulis rectè De-  
um agnoscētibus et celebrantibus  
consito, & suauissimum odorem  
veræ agnitionis & inuocationis  
Dei longè lateq; spargente, quo  
nullæ Persicorum regum paradisi  
amaniores fuerunt: gratias reue-  
renter agimus, adiunctis ardenti-  
bus votis, ut hunc saluberrimum  
& in primis necessarium verbi  
sui & artium bonarum, earun-  
demq; fructuum sanctissimorum  
& pulcherrimorum odorem in  
hac Balthicilitoris Sarepta nobis  
perpetuum seruet.

Sed iam cum Heliso in oppi-  
dum Bethel, tribus miliaribus ab

B

Hie-

Hierosolyma distans progredia-  
mur: quam Luz am ante adictā  
Jacob, Dominum stantem in sca-  
la, & angelos Dei ascendentēs &  
descendentēs eo in loco videns Be-  
thel primus appellauit, cum insi-  
gni exclamatione: VERE HÆC EST  
DOMVS DEI, ET PORTA COELI. Hanc  
urbem priusq; ingreditur Heli-  
laus, à proteruis ac petulantibus  
& impiis adolescentulis derisus  
& illusus, consutiis indignissimis  
proscinditur: sic, ut nec astatis, nec  
dignitatis vel meritorum vene-  
randi senis, qui eo tempore praci-  
pius studiorum pietatis rector e-  
rat, à scurris & sycophantis istis  
ratio haberetur: quem senem, ca-  
num,

*Caligin*  
num, fatuum, beanum & beano-  
rum patrem vocarunt. Ita enim  
mundus et aliqui ingratii in Aca-  
demiis scholastici excipere prios &  
bene meritos de scholis viros so-  
llet, et hanc mercedem illis soluere,  
de qua senex ille, apud Comicum  
elegantissimum, Hoc (inquit) fru-  
cti pro labore fero, odium. Item:  
Mene seruasse, ut essent, qui me  
perderent. Sed probra hæc &  
ignominia, conuictorumque poena,  
in conuictorum caput recidit.  
Cum enim Helislaus respexit,  
motus improbis et insanis eorum  
clamoribus, maledixit eis in su-  
premi et iustissimi vindicis nomi-  
ne, ob contentionem non tantum

B 2

cani

cani capitis sed etiam & quidem  
principue functionis sacrosanctæ,  
qua filij prophetarum h. e. doctrinæ  
cœlestis studiosi (quos paterno  
amore & fide, ut pater filios ex se  
natos diligebat) ab ipso regebantur.  
Egressi igitur duo ursi de salutis dilaniarunt quadraginta duos con-  
iunctores. Usque adeo execratio-  
nes præceptorum et parentum ratae  
sunt, & cum gravissimo pondere,  
& iustissimo Dei, qui non irride-  
tur, iudicio coniunctæ. Sed Elise-  
us nihilominus pergit, minimè  
fractus probris, εμπελῆς τῶν πεικ-  
τῶν, ἀμελῆς δὲ τὸ περὶ αὐτῆς λογοπισμένων.  
Non enim ei, qui alijs in schola  
docendis & regendis præstet, quic-  
quam

quam suscipiendum est ea preci-  
pue de causa, ut mundi gratiam  
venetur, nec quicquam ob mundi  
ingratitudinem, quod rectum sit,  
et officij ratio exigat, omittendum.

Ideo hic Rector Elisaeus Scholis &  
Ecclesijs Israëliticis, & omnibus  
quibus debet, & potest, seruit &  
prodest, & prius lectionibus atq; ex-  
ercitiis utilibus & sacris psalmis  
harmonijsq; musicis spiritum Dei  
in se exuscitat, & vaticinia edit,  
totiq; exercitui fitienti salubrem  
pluviam à Deo exorat. Omnis  
enim, qui animis hominum am-  
brosiam verbi cœlestis et virtutis  
nectar insinuat & instillat, instar  
pluviae fœcunda & salutaris est.

Post-

Postmodò paupercula vidua & orphanis p̄ij sacerdotis, ad as alienum soluendum, auget oleum & misericordia afflictisq; tempestiuè subuenit, sicut mandatum est: Esto pater orphano, & matri illius vidua & patronus: tunc eris filius altissimi, et DEV S diligit te magis quam diligit te mater tua. Quid verò potest promitti maius amore Dei tanto erganos, qui superet maternam sorgiv, quæ est longè ardentissima.

Ei grauissimi illius ac humi-  
nissimi de Beneficentia et dilectio-  
ne praecepti exemplum nobis Eli-  
saeus est:

ἄρτῳ, χιλίῳ, πατήρ τε καὶ λιμὴν ψυχός  
πένθοι, γυμνοῖς, ὥρφανοῖς, τοῖς δὲ ζάλῃ.

Panis, vestis, pater et portus esto  
Esurientibus, nudis, orphanis,  
Et tempestate erumnarum ia-  
ctatis.

Etsi autem ex gubernatoribus  
hic schola rector in aulis suorum  
regum, et oppidis regni Israël pau-  
cissimos fautores et amicos habet:  
tamen à Deo amico fidissimo Et  
optimo non planè deseritur, qui de  
nidulo commodo Et hospitio bene-  
ficio, prater omnium maleuolorum  
Et maledicorum voluntatem, ipsi  
Et scholis ipsius prospicit, eumque  
umbra manus sua, tantisper do-  
nec cursum vita à DEO tributū  
absoluat, benignè protegit ac de-  
fendit. DEI igitur auxilio Et be-

B 4 nigni-

nigritate fretus labores vocatio-  
nis constanter ac sedulo urget He-  
lisaeus et aliquanto post Gilgalim,  
ubi collegium Theologicum cen-  
tum studiosorum fuit, ad eorum  
mores & studia inspicienda accé-  
dit, cum magna ibidem annona  
caritas esset, qua ingratitudinem  
mundi, amplissimam pecuniam  
in luxum conuiuiorum, vestium,  
aliosq; usus prophanos effunden-  
tis potius, quam paucis coronatis  
studia literarum et scholarum re-  
ditus augentis, plectere Deus iu-  
stissimus solet.

Horum pietatem et fidem He-  
lisaeus explorans, an pietatis amore  
& gloria. Diuina causâ potius,  
quam

quam commodorum huius vitae et  
ventris gratia studiosi illius colle-  
gij, doctrina cœlestis studia co-  
lant? parciorem victimum ijs appo-  
nendum curat, hanc quoq; ob caus-  
sam, ut vires ingenij & intentio-  
nem in studijs ac invocatione, que  
obrui & extingui nimia ingluue  
& intemperantia solet, tenuiore  
diata dissentibus aleret & conser-  
uaret. Nam crapula onustum  
corpus mentem quoq; prægrauat  
ipsa atq; affigit humi Diuina par-  
ticulam aure, ut fermè Horatij  
verbis utar, et Gracis Menandri  
versus celebratur: παχεῖα ρασῆς λέ-  
πον οὐκτὸν νόον. Exiguo igitur ac  
tenui commeatu studiosos suos pa-

B 5 scit,

scit, ac ut famem sedent, ad her-  
bas in agro colligendas famulum  
ablegat, cuius ignorantia & ne-  
gligentia scholasticos illius loci u-  
niuersos fermè perdidisset. Cum  
enim coloquintidas, seu agrestes  
cucurbitas minuisset, easq; domi-  
no & præceptore suo insciente ad  
ignem admotas, nimis celeriter  
scholasticis apposuisset famelicis,  
(Quia fames & mora bilem in  
nares conciunt) hi gustantes ob-  
sonium, statim vim veneni depre-  
henderunt. A rectore igitur &  
præceptore Heliso consilium &  
auxilium postulant. Qui ex ma-  
la victus ratione periclitantibus,  
presenti remedio opem fert, ac in-  
spersa

spersa farina cibi vitium corrigit,  
et ex insuaui mortiferoq; suave et  
vinificum efficit ferculum : Quæ  
denuo pulcherrima Christianæ A-  
cademia imago est. Esu enim  
pulmenti acerbi, tenuitatis, inopiae,  
odij, molestiarum plerisq; præce-  
ptoribus & discipulis piis & labo-  
riosis hominibus sustinendarum  
& deuorandarum admone-  
mur. Pariter etiam docemur  
DEI bonitate catus discentium  
& docentium licet exiguae aut  
nullas opes habeant, tamen ali &  
defendi, atq; è multis vita pericu-  
lis sapientiæ numero, inò quotidie libe-  
rari. Preparemus igitur nos ad  
sufferendas vita difficultates, &  
statio-

stationem nostram Deo, qui suauem curis miscet amariciem, commendemus. Eo iuuante γλυκύμ-  
νεον amarum dulce euadet, & grata superueniet, que non sperabitur, hora. Sed ad historiam redeo, ut à Gilgali hunc Rectorem cum studiosis digredientem conspiciamus, qui, propter frequentiam discipulorum, ludum literarium ampliat et ad vicini fluminis ripam in locum patentiorem traducit. Ecce enim inquiunt discipuli, locus in quo habitamus, angustus est: adificemus nobis domum ad Iordanem.

Obsequitur Elisaens votis carissimorum filiorum. Sed nec ille lo-

le locus planè vacuus omnib. mo-  
lestiis, nec intus ab insidiis fuit.  
Rex enim Syriae Helisaum perse-  
quitur, & satrapis imperat, ut e-  
um capiant, verum à partibus  
prophetæ mons plenus equorum et  
curruum igneorum apparet: ita  
ut Deus nobis in huic Rectoris  
adolescentia, defensione & prote-  
ctione, tanquam in illustri typo o-  
stendat, se multa millia angeloi-  
rum præsidiorum ordinare, qui  
excubias pro incolumentate et salu-  
te piorum præceptorum & disci-  
pulorum agant, eosq; aduersus ra-  
biem, insultus & vim tyranno-  
rum tueantur. Hec sane ingens  
gloria est nostrorum cætum, mi-  
lites

lites & exercitus angelicos ad no-  
stra incedere latera. & cum in  
schola sedemus, nos non solum in-  
ter aquales sedere, sed una versari  
ri purissimos & casto amore Dei  
et nostri flagrantes angelos. Hos  
spectatores esse studiorum nostro-  
rum & custodes corporum. Hi  
nos comitantur in auditoriu, assi-  
dent una, & nos reducunt. Hoc  
sodalitium ceriè nos vereri deceat,  
quod quidem mirificam volupta-  
tem capit ex assiduitate discenti-  
um, et castis moribus ac sermoni-  
bus, & Deo prædicat nostra stu-  
dia, eiq[ue] nos commendat. Qua-  
re cauendum nobis est, ne vel in-  
ertia nostra, vel malis moribus  
hos

hos vigilantisimos custodes offendamus, & à nobis abigamus.  
His flammeis cateruis cinctus  
Helilaus non armis se munit, sed  
precibus copias hostium se obside-  
tes animis & oculis priuatas,  
intra Samaria mœnia in Israëli-  
tarum regis potestatem, velut ve-  
rus Hercules Gallicus, dedit.

Nec verò iam vīctor Heli-  
laus & triumphator, fundendi  
sanguinis autor est regi Isræli-  
tarum, sed vitam captiuus & liber-  
tatem denuo impetrat.

Etsi autem tanto beneficio,  
victoria illustri absque ulla cade  
& sanguine paria, regem Israël  
affecerat: plurimus hostis ta-  
men,

men, in fine laborum profide & beneficiis huins praestantis ludi magistri, odium, maledicta, & cedem relaturus, sicarios subornat, qui & togatis latrociniis, inquis criminacionibus, submissis accusatoribus, falsis suspicionibus irritato regis animo eum infestent, & caput ab humeris ausum Prophetæ precidant. Sic enim inquit Rex: Hac mihi faciat Dominus & hoc addat, si sterterit caput Elisei super ipsum hodie. Prefectus etiam regius fidissimi vatis orationem, qua populi animos, in annona caritate maxima utilitatem maximam promittens, consolatur & erigit super-

superbè illud & conuitijs proscindit. Ideoq; centaurus ac cyclops iste in porta urbis altero die (ut vates illi prædixerat) populi compressu eliditur & enecatur; cùm Deus votis Prophetæ locum relinquens, urbi Samaria & toti ditioni, tempore ingentis famis, tam miraculose, tam copiosè subueniret. Deinde cùm ob peccata populi alia fames ingrauesceret, hospita Sunamis, gratitudinis hospitis sui, fructum percipit: qui eam præmonet, ut in aliam regionem se conferat. Ita omne beneficium, imò haustus frigida, & quidem vocula consolationem habens, qua in Christi nomine

C

Scho-

Scholis & Ecclesijs declaratur,  
mercede & præmio non carebit.  
Tandem spiritu præsentiens popu-  
lum ob ingratitudinem et contem-  
tum cœlestium bonorum horribi-  
liter puniendum & deuastandum  
esse, toto pectore ingemiscit, et mœ-  
rens amarissimas Elisaus fundit  
lacrymas. Nam licet multi ex po-  
pulo et proceribus ipsi obrectatio-  
nibus et maledicentia molestissimi  
et valde iniurij essent, nihilominus  
eorū causa paternè solicitus, arden-  
ter pro ipsis orat, & posteaq; Iehu  
regem ad præscriptum vocis Dini-  
na per ministrum vocatione inau-  
gurasset, multosq; utiles & saluta-  
res Ecclesia iuuenes ad ministeriu  
Euan-

Euangelij & salutis doctrinæ pro-  
pagationem instituisse ac confor-  
masset, annos iam circiter septua-  
ginta, imminenti bello & futura  
calamitati præripitur, & ad pa-  
tres suos in pace & quiete (ut ver-  
bis scripturæ utar) colligitur.

Hac de optimo & fidelissimo  
Rectore Schola Heliseo, pro tem-  
pore, breuiter in praesentia comme-  
morare volui.

Nunc filio Dei supremo &  
perpetuo omnium piarum A-  
cademiarum Rectori gratias  
merito agimus, quod sicut ad  
ripam Iordanis, in Hiericho,  
Bethela, & Gilgali ciuitatibus,  
Ecclesia, & piis studiis olim a-

C2 liquan-

liquandius hospitium præbuit : sic  
ad VVarnouij ripam, doctrinæ  
cœlestis optimarumq; artium stu-  
dia (qua Ecclesiae rei<sup>q</sup> publicæ  
præsidio & ornamento sunt) in  
hac urbe iam annos 166. seruat,  
custodit, tuetur, & tranquilla  
halcyonia huic Balthici littoris  
Sarepta clementissimè impertit.  
Deinde etiam illustrissimorum  
Principum & Dominorum, Du-  
cum Megapolitanorum, Prin-  
cipum vetusta gentis Henetæ, Co-  
mitum Suerinensium, Domino-  
rum Rostochij et Stargardia etc.  
Principum Dominorumq; no-  
strorum clementissimorum, ut &  
prudentissimi huius ciuitatis Se-  
natus

natus liberale patrocinium, &  
ingens beneficium debita cum  
subiectione & gratitudine agno-  
scimus & predicamus: quod  
hanc Scholam clementer beni-  
gneq; fouent & promouent, de  
eadem praeclarè mereri, vere  
gloriosum sibi rectè iudicantes:  
Qui in magnifici Domini Recto-  
ris & Academia honorem, Cel-  
studinis ipsorum loco, & ordinis  
Senatorij nomine, strenuos, &  
generis & animi nobilitate pra-  
stantes Consiliarios, amplissimosq;  
& prudentissimos Consules in-  
teresse huic renunciationi, suaq;  
Clementia & bonitatis erga  
banc Academiam, & iudicij

C 3 de bo-

de bonis literis honorifici illus-  
stre testimonium ostendere vo-  
luerunt. Quorum omnium tum  
absentum tum praesentium in-  
columitatem & prosperitatem,  
ut à filio Dei summo Princi-  
pe & Rectore piarum schola-  
rum impetremus, atque adeo  
prototius Academia, & Ecclesia  
patriaq; vniuersa conseruatione,  
felicitate & incremento pia vo-  
ta faciamus, queso, ut pro so-  
lemni laudatoq; more huiss scho-  
la, vna iam in ecum in vicinum  
templum vos conferatis, &  
communi ac ardenti inuoca-  
tione, noui Rectoris magistra-  
tum, & omnium qui domicili-  
lia

lia ac templo vera agnitionis  
Dei & officinas ac gymnasia  
necessaria & salutaris generi hu-  
mano doctrinae omniumq; virtu-  
tum, amant et propagant, vitam  
et salutem, ac vos ipsos Serua-  
tori maximo optimoq;  
commendetis.

D I X I.













Fm

4363





e bonis literis honorifici illu-  
re testimonium ostendere vo-  
erunt. Quorum omnium tum  
sentum tum presentium in-  
luminatatem & prosperitatem,  
a filio Dei summo Princi-  
& Rectore piarum schola-  
m impetreremus, atque adeo  
totius Academia, & Ecclesia  
triaq[ue] uniuersa conseruatione,  
icitate & incremento pia vo-  
faciamus, queso, ut pro so-  
nni laudatoq[ue] more huic scho-  
vnâ iam inecum in vicinum  
plum vos conferatis, &  
muni ac ardenti inuoca-  
re, noui Rectoris magistra-  
, & omnium qui domicili-  
lia